



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De operatione amoris Dei, 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

exuberans est tua dilectio, quod in peccatis miserabiliter jacentes, expectas ad penitentiam, & interdum rebelles redire compellis. Adjuvare igitur me digneris, misericordissime Domine Iesu Christe, ignis & lux amoris. Et accende & illumina cor meum durum & rebelle ad amorem tuum: quo adjuvante, de peccatis & malis meis propter te doleam, digne per te satisfaciam. Opera studiosa & tibi placita, corde puro, humili & amanti exerceam: Ut tua gratia praveniente, assistente, & subsequente, sic in presenti vita amore tuo vivam, ut illa finita, ad te gloriosa amandum, misericorditer vitam obtineam sempiternam, Amen.

CAPVT VII.

De operatione amoris Dei.

I. **O** Admiranda divinæ propiationis dilectio. Servi digni non sumus. Tu autem, benignissime Domine Iesu Christe, plenitudo amoris, amorem tuum & dilectionem ostendendo & operando in indignis servis tuis, & (ut de cæteris taceam) in me miserabili creatura tu, à multis variisque periculis me liberaisti. Quia me deviantem reduxisti, ignarum docuisti; dum peccarem, ad penitentiam expectasti, prostratum erexisti: & ad te venientem, largissima pietate tua suscepisti. Omne meritum meum nihil omnino esse potest, in comparatione operationis amoris tui. Amor tuus dulcissime & amantissime Iesu Christe, operatur in me, sine spe recipiendi à me: *Quia bonorum meorum non eges.*
Neque

Neque quicquam condigne amoris tuo conferre possum, nec eum explicare sermone. Quia tantus est & tam immensus amor tuus, quod dum peccabam, tu silebas; dum non continebam à vitiis & peccatis, tu à verberibus abstinebas; dum perseverabam in iniquitatibus multis & diversis, tu vindictam differebas.

2. Ad omnem tribulationem & necessitatem apertus mihi fuit dulcissimus amor tuus, & sinus tuæ infinitæ dilectionis expansus; nec consideravit indignum, sed necessitatibus meis omnibus subvenit. O amoris inestimabilis operatio! Sic enim Domine me visitasti, & cor meum durum mutasti, ut amara sentiam nunc illa, quæ antea male dulcia mihi erant; & qui lætabar tunc, cum male in rebus pessimis agebam, nunc incipiam tibi recogitare annos meos in amaritudine animæ meæ. Quare ô Domine Iesu Christe, amator bone, qui commoves terram cordis mei, & conturbas eam, sana obsecro) contritiones ejus, quia commota est. Non recedat operatio tui dulcissimi amoris à me creatura tua. Intret in animam meam, & mundet eam à facibus peccatorum. Illustret eam incendio veræ dilectionis. Excitet eam à reponere ignaviæ. Tollat ab ea ignorantiam, & doceat quæ agere & exercere debeam.

3. O misericordissime Domine Iesu Christe, qui omnem amorem superas, cogitare non valeo, quanta dilectione me amasti, & quam liberaliter & gratis. Quia licet te diversis modis offenderem, nec à peccatis cessarem;

farem; tu tamen dissimulabas, nec ad puniendum me accelerabas. Imo, tanquam ovem errantem & pereuntem, ut sacris humeris imponeres, requirebas præ incomprehensibili amore, quo cuncta, quæ fecisti, amas. Gratias itaque tibi ago, & tuo immenso amori, tuæque immensæ pietati & clementiæ; & te humili corde ac simplici precor, ut tua dilectio me non deserat, sed mecum sit, me adjuvet, & me defendat ab omni periculo animæ & corporis. Ut hic ad tuum placitum vivendo tibi semper serviam, te incessanter diligam, & tandem ad dilectionem tuam perveniam sempiternam, Amen.

CAP V T VIII.

De magnitudine amoris Dei.

I. **L**icet (Domine Deus meus) mundus in maligno positus esset, & plenus miseria: tamen pro nobis in mundum, tuum benedictum filium misisti. Imo etiam ex abundantia tui amoris, illum in infernum transmisti, ut inde suos extraheret. Ad hoc enim misisti ipsum in mundum, ut venditus nos redimeret, occisus vivificaret, injurias passus honoraret, & in filios adoptaret. Misisti igitur Verbum tuum, misisti Spiritum tuum, promittis vultum. Et ne quid in cælestibus vacet, ad opera nostra sollicitanda etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium, & insuper humanam naturam in eadem persona divinæ naturæ associari voluisti. Dilexisti nos Domine gratis, morti destinatos, & vita indignos. Omnes